R api c.ws

UNIVERSITATIS LITTERARUM VRATISLAVIENSIS

NOVI RECTORIS

TRAUG. GUILELM. GUST. BENEDICT

MED. ET CHIR. DOCT. ET PROF. P. O.
AUGUSTISSIMO BORUSS. REGI IN RE MEDICA A CONSILIIS INTIMIS SCHOLAE CHIR. CLINICAE MODERATORIS

LEGITIME CREATI

SOLENNEM INAUGURATIONEM

DIE XXIV. M. OCTOBR. HORA XI.

IN AULA LEOPOLDINA CELEBRANDAM

INDICIT

PETRUS IOSEPHUS ELVENICH
PHIL. DOCT. ET PROF. P. O. HUIUS ANNI RECTOR.

PRAEMISSA EST IOVITAE RAPICII ORATIO DE IMITATIONE MAIORUM.



VRATISLAVIAE
TYPIS UNIVERSITATIS.

MDCCCXLII.

Qui litterarum conditionem, qualis hodie est apud Italos, paullo accuratius cognitam habet, is, etiamsi laudabilem ad aliquas artes et disciplinas industriam in nonnullis saltem Italiae partibus conferri iudicaverit, tamen iusto plus negligi ac fere iacere non modo Graecas sed etiam Latinas litteras minime infitiabitur. In ipsa urbe Roma, ubi voces tot oratorum illustrium olim verba facientium in foro inambulantibus etiamnunc videntur sonare, vix unum alterumve hominem reperias, qui satis probabilem sibi comparaverit Latinae orationis facultatem. Nihilominus in Italia antiquitatis studia, etsi minus tractantur, in honore tamen habentur, nec facile viri his studiis probe nutriti atque edocti debitam sibi aestimationem desiderant. Viget enim etiamnunc in permultis Italis memoria et amor quidam ac desiderium splendoris illius, qui olim ei terrae cum ex aliis causis tum ex litterarum humaniorum flore accederet. Inde est, quod cultiores Itali hodiedum quodammodo gloriari amant de Horatio et Virgilio suo, quod inter confabulandum ex his aliisve poetis non raro versiculos quosdam recitant, quod iactant Ciceronem, Livium, Tacitum, similes, quod etiam Bembi Manutiorumque et aliorum virorum, qui post renatas litteras in Italiae urbibus ita inclaruere, ut ad veterum scriptorum laudem pervenisse viderentur, identidem mentionem faciunt.

*

Habet profecto ea res, quod laetabile dicamus. Ostendit, animorum vincula, quibus nostrae aetatis Itali cum clarissimis maioribus iungantur, nondum omnino rupta esse, spemque excitat fore, ut populus mirificis ingenii dotibus ab ipsa natura ornatus denuo erigatur, mutatisque et in melius conversis temporum rationibus tandem aliquando novum ardorem suscipiat ad aemulandos eos, qui tantam patriae ipsorum gloriam pepererunt.

Cum eadem illa temporum praeteritorum memoria residuoque amore pristinae nobilitatis etiam connexus esse videtur mos perquam laudabilis Italorum in eo positus, ut, quum laeta solennia, inprimis ad singulos homines illustres aut ad singulas familias nobiles pertinentia, celebranda sunt, praeter carmina, quae praedicent diem festum, subinde exeat litterati hominis opusculum, quod vel argumentum aliquod ex antiquitate petitum pertractet, vel in bibliothecis reconditum aliquod veteris scriptoris monumentum in lucem proferat. Nimirum ex ea re multiplex affluit decus: ornantur enim et ii, quorum renovatur memoria, et ii, qui renovant, et ii, quorum laeta solennia peraguntur. Sequutus morem illum pulcherrimum, ad nuptias Joannis Lambertini, comitis, et Lucretiae Sarvognan, comitissae, nobilitandas Laurentius Becatellius anno MDCCLXII Bononiae evulgavit commentationem satis amplam, qua nuptiales veterum Romanorum ritus sermone Italo explicantur. Eandem respiciens consuetudinem, Joannes Baptista Casparius simili data occasione a. MDCCCXXVI Venetiis edidit Jovitae Rapicii, qui floruit initio saeculi XVI., orationem de imitatione maiorum, adiecta interpretatione Itala cum annotationibus maximam partem ad historiam pertinentibus.

Non alienum ab hoc tempore fore visum est, si illam Rapicii orationem, cuius pauca tantum exempla typis excusa prodierunt, ut nostratibus quoque innote-

sceret, exhiberemus. Nam et qui habuit orationem, principibus annumeratur viris, qui post renatas litteras Italiam ingenio suo illustrarunt, et ipsa oratio eiusmodi est, ut legentibus possit aliquantum vel delectationis vel utilitatis afferre. Argumentum aptissimum, ab historia Veneta petitum; singulae partes optime dispositae; eruditio ampla; sententiae interdum graves; vis oratoria non mediocris; dictio Latina satis probabilis; numerus maximam partem iucundissimus.

Codex autem orationis manuscriptus cum aliis eiusdem auctoris, partim ineditis, extat in bibliotheca Marciana: quanquam illum codicem non ipsius Rapicii, sed aliena manu scriptum esse Casparius suspicatur ex emendationibus, quas in margine dicit esse adiunctas. Sed hae emendationes quales sint, et migrarintne in ipsum Venetae editionis textum, necne, nobis quidem haud constat; nihil enim ea de re editor Italus. Illud dubium non est, quin textus, qualem exhibet Veneta, nonnullis locis laboret. Quare id etiam operam dedimus, ut menda residua, tum magis, tum minus obvia, corrigeremus, adiectis sub textu hic illic coniecturis nostris.

De Rapicio pauca addemus; plura qui cupiet, consulat Tiraboschii librum Venetiis editum MDCCLXXXXVI: Storia della letteratura Italiana, Tom. VII. pag. 1473 ss.

Jovita Rapicius vel, ut aliis scribitur, Ravizza circ. a. MCCCCLXXX natus est Clarii (Chiari), oppido parum a Brixia distanti atque ita nominato, ut putant, ab aquarum ibi fluentium claritate. Satis mature ad instituendam iuventutem se applicavit, et quum in aliis Italiae urbibus, tum postremo Venetiis liberales artes ac disciplinas docuit tam prospero successu, ut maximam inde laudem ferret. Donarunt eum civitate Vicentini et Brixiani. Principes litterarum illius aetatis in summo eum honore habebant, ut Petrus Bembus, ut

Paulus Manutius, ut Reginaldus Polus, ut alii. Et Paulus quidem Manutius, quum post mortem Rapicii, quae Venetiis accidit a. MDLIII, de successore eligendo ageretur, litteris d. VIII. m. Augusti a. MDLV Bononia missis ita scripsit: praestantiorem Rapicio reperiri neminem; fuisse enim eum Varronis aut Nigidii instar. Ceterum in libris Rapicii, (quorum nullus in nostra bibliotheca academica exstat,) praeter aliquot orationes et nonnulla varii argumenti opuscula laudantur libri V. de numero oratorio, ad quos accedit libellus de institutione puerili. Confer Tiraboschium l. c., item Specimen novae litteraturae, quae in urbe Brixia eiusque ditione paulo post typographiae incunabula florebat. Brixiae MDCCXXXIX. P. II. pag. 332. 333. et 338.

JOVITAE RAPICII
ORATIO
DE IMITATIONE MAIORUM.

Cum iam inde a prima aetate non semel audissem ac deinceps etiam saepe legissem homines hominum causa procreatos, ut dandis atque accipiendis beneficiis pulcherrimam istam civilis vitae societatem pro suis quisque viribus tueremur: eum, qui hominum generi plurimum prodest, summa laude dignum statuebam. Sed cum subinde mecum cogitarem, quemnam esse hunc merito diceremus: multa sese offerebant, quae in diversa distraherent. Nam cum fere illa hominum studia, quae vulgo putantur utilissima, sub unum quasi conspectum conieceram: pastores, agricolas et mercatores atque artifices propemodum omnes in commune plurimum prodesse intelligebam; milites quoque, qui solent hostem procul arcere et publicae quietis esse custodes, utiles ac prope necessarios civitatibus arbitrabar. Sed cum ex animo constemus et corpore: videbam haec omnia, nescio quo pacto, magis ad corpus quam ad animum pertinere ac rem potius familiarem iuvare quam mentem; atque eos, qui prodessent animis, tanto utiliores existimabam, quanto animus esset omni corpore praestantior, eos vero, qui non alterutram hominis partem, sed totum prorsus hominem adiuvarent, omnium longe utilissimos iudicabam, nec mihi tamen, quamvis diu quaesissem, multos eiusmodi videbar invenire. Postquam vero me in praeclaram hanc urbem contuli, et tum adolescentium ingenia formare docendo coepi, tum seniorum prudentiam et totius civitatis mores propius inspexi: vix dixerim, quanto sim affectus gaudio, quod omnes omnium ordinum atque aetatum homines ita rem privatam ac publicam curare animadverti, ut nec animorum nec corporum

curam cultumve negligant, et longe meliorem diei partem vel rei divinae caste pureque faciendae vel iis, quae de Deo, de arcanis naturae rebus, de tota bene vivendi ratione in templis disputantur, diligenter adhibeant, vel dicendis de republica sententiis vel decidendis litibus vel cognoscendis reorum criminibus vel honestarum artium studiis vel commerciis impertiantur, nec curiosis modo inspectionibus sed útilibus etiam ac civili vitae necessariis actionibus incumbant, et longe pulcherrimo philosophandi genere quidquid aliquando didicerunt in medium conferant, liberosque et iuniores omnes non magis oratione quam exemplo suo ad honestissimum vitae genus provocent, ut jam, si quis paulo diligentius intueri velit, nihil aliud illi civitas videri queat quam honestissimus quidam hominum docentium simul ac discentium coetus.

Mihi sane res ea adeo iam explorata compertaque est, ut habendae ad vos per solemnia haec liberalium studiorum initia orationis non tam propositum quam modum imitari[1]) censuerim. Itaque cum saepe alias ex hoc ipso loco vos ad honestas disciplinas et virtutes hortari consueverim: hodie nihil tale moliar, neque enim aut ad ullam liberalium artium aut ad hanc vel illam seorsum virtutem excitabo, sed ex veteribus praeclarae istius civitatis institutis pauca ante oculos ponam, et ad maiorum vestrorum imitationem vos etiam atque etiam hortabor. Haec enim una vobis esse potest et honestae vitae solers magistra et ad felicitatem fida ac certa dux; sive enim civilem istam, quam unam philosophi norunt, felicitatem, sive eam, quam christianis hominibus sacrae litterae pollicentur, sive utramque potius inquirimus, nulla ad eam vel tutior vel facilior quam per maiorum vestrorum imitationem via vobis ostendi potest.

Nam si primos illos urbis vestrae conditores ab ipsis modo rerum principiis intueri nec longius progredi libeat: in iis tum miram quandam prudentiam ac pietatem, coniectura nihil fallente, deprehendes; si quidem petiti bello ab iis, qui duce Attila non Venetiam modo et cisalpinam Galliam vastare sed omne prorsus italici nominis decus abolere desiderabant, barbarico furori, quoad licuit, obstiterunt, mox ubi tantae multitudini se pares esse non posse senserunt, in

---

1) Pro *imitari* fortasse legendum *a me teneri* vel *servari*.

haec loca se contulere, quae et convenis tutos receptus exhiberent, et maritimis commeatibus abundarent. Sed illud quoque plenum prudentiae consilium iure laudaveris, quod in vacua venerunt, quae nec ad orientis nec ad occidentis imperium pertinebant, sed eorum, qui occuparent, iure facta sunt, et cum vacua, liberaque ipsa, liberos ac nemini subiectos homines accepissent, iustissimum ac firmissimum iustae libertati fundamentum ac domicilium praebuerunt. Atque illi primum in vicos non ita multum inter se distantes ac solis aestuantium aquarum rivis divisos concessere, postea vero exstructis aliis atque aliis pontibus in unum convenerunt, ut et sibi aptius mutuo usui essent, et hostem, si forte ingrueret, fortius repellerent. Itaque loco natura ipsa munitissimo fundata et in libertate nata civitas non modo libera esse in hanc usque diem perseveravit, sed multis magnisque virtutibus insignis vicinas civitates ac nationes tyrannico iugo ante fatigatas in admirationem tam laetae tranquillitatis excitavit ac traxit, expetentesque ac implorantes in societatem libertatis amanter accepit, et tanta fide ac virtute servavit, ut, si quam a tam amabili tutela vel bellorum impetus vel rerum vicissitudo vel novum forte aliquod foedus avulsit, ea sibi desolata atque excisa videatur.

Pietatis autem christianae ac verae religionis firmissimum ac certissimum argumentum est, quod, quam ab Apostolorum successoribus semel acceperant ac imbiberant rectam vivendi et veri Dei colendi rationem ac disciplinam, eam fide adeo stabili ac perpetua tenuerunt, ut, quamvis non Asiam modo et Africam sed magnam etiam Europae partem haereticorum hominum venena infecerint, haec tamen civitas ab apostolicis traditionibus et recto veri Dei cultu nunquam aberrarit; quin hodie quoque nihil acriori curat intentione, quam ut sibilantium hinc atque inde aspidum voces et venena procul arceat, et dominicum gregem tam solerti sedulitate compescit, ut illi nihil mala pecoris vicini contagia nocere possint. Denique si, quod non admodum difficile fuerit, loci leges atque instituta percurras, ita optimis quibusque variarum gentium et sapientissimorum hominum institutis consentire deprehendes, ut nihil usque vel ab aeternis illis legibus, quas hominum mentibus natura inseruit, vel a christiana pietate et religione abhorreant. Si cui porro libeat a Veneti imperii

nitiis ad nostra usque tempora historias evolvere atque hujus urbis, quae hodie sola in terris domus est libertatis, non solum incunabula sed progressus etiam atque incrementa discere: is hanc unam civitatem universae antiquitati iure vel conferri vel anteferri posse iudicabit. Nam quod ad piam ac veram religionem attinet, quae vel sola vel certe prima ac praecipua hominis virtus est, ut quae virtutes omnes amplectitur simul ac perficit: hoc genere laudis Venetia bonam gentium partem ita iampridem superavit, ut cum reliquis adhuc omnibus optimo iure contendat; quod vel continuata totis mille ac prope ducentis annis veri Dei cultura vel templorum atque aedium sacrarum numerus atque amplitudo vel quotidiani apparatus magnificentia vel prope incredibilis a mane primo certis horis ad supremam usque vesperam sacrificantium frequentia ac multitudo aequis iudicibus facile potest comprobare.

Quae porro unquam innocentior respublica? quae alieni abstinentior? quae in delinquentes clementior? Athenienses certe, Lacedaemonii et Carthaginienses, si et se ipsos et hanc rempublicam bene noverint, aut aequis, ut arbitror, animis concesserint, aut si contendere voluerint, eos facile tum mores ipsi tum leges tum vero tota imperandi atque administrandae reipublicae ratio diligenter collata refutabit. Romani autem illi rerum domini, omnium nationum linguis, omnium scriptis ac voce laudati, si in contentionem, quod merito possunt facere, descendant, ut aliquot rebus fortasse vicerint, ita multis magnisque vinci se fateantur necesse est. Nam si imperii magnitudinem et prolatos ab Atlantico mari in Euphratem fines et inexplebilem illam pugnandi rabiem, quam bellicam fortitudinem videri volunt, paulisper reposuerint: vix habent quicquam, quo se vobis comparent. Non libet hic vel situm vel conditores huius atque illius urbis conferre ac dicere illam loco nec natura nec arte satis munito esse fundatam, (quod utinam infelix eventus non probasset, nec urbs tam egregia atque inclyta toties capta, direpta atque incensa esset, ut hodie intra eius loci ambitum, ubi quondam Roma fuerat, Roma quaereretur, et vix fundamenta possint inveniri!) hanc vero tum naturae beneficio tum hominum industria ita esse munitam atque instructam, ut, postquam condita est, raro admodum hostem viderit, et vix bene visum felicissime fugarit, nunquam victa, nunquam capta,

pulchrior indies et amplior semper surrexerit, et hodie, diis atque hominibus bene faventibus, subinde magis magisque augeatur. Illius conditorem incerto congressu atque incerto patre ortum, qui nihil nisi ferrum et arma novisset, et hominum magis sanguinem quam aliud quicquam sitire videretur: huius autem conditores et nobilissimos et a caedibus adeo alienos fuisse, ut avitis sedibus cedere maluerint, quam aut suum aut cuiusque sanguinem fundere. Totam porro illam civitatem non e pastoribus, quod ferri queat, sed ex fugitivis servis ac latronibus in infame illud asylum confluentibus primum constitisse: hanc e nobilissimis atque innocentissimis Venetiae totius hominibus fuisse constitutam. Non libet, inquam, aut haec aut, si qua ejusmodi sunt, alia conferre, quae fortunae et casibus potius quam hominibus posse merito adscribi aliquis putaverit. Quam ob rem ea, quae ad utriusque gentis vitam ac mores pertinent, historia teste, conferamus, ut, quantum inter illos atque hos intervallum sit interiectum, aperte possit intelligi.

Illos profunda imperandi atque habendi cupido ad inferenda vicinis gentibus bella vix bene condita urbe impulit: hi, diu suis finibus contenti, non ut plus haberent aut latius imperarent, sed ut oppressis gravi servitute atque in libertatem proclamantibus subvenirent, imperium sero ac diu rogati proferre coeperunt. Illi deductis per universam Italiam et vicinas provincias colonis divisisque veterum incolarum agris indigenas avitis sedibus expulerunt: hi non gentibus modo, quas in fidem tutelamque receperant, sed iis etiam, quas iniuria lacessiti bello superarant, omnia veterum possessionum iura firma ac rata esse voluerunt. Illi sola replendi aerarii cupiditate regno opulentissimo regem nihil tale meritum eiecerunt, et quietas civitates vel nulla vel certe levissima causa lacessiti diripere veriti non sunt, et innocentium spolia quasi legitimam praedam [diripere][2]) in aerarium coniecerunt: hi gentes ac civitates amicas ex desolatis populosas, ex semirutis munitissimas, ex pauperibus opulentas reddiderunt. Illi Numantiam in Hispania, Carthaginem in Africa, Fregellas in

2) Vox *diripere,* iam paullo ante posita, non habet hoc loco, unde pendeat. Suspicor spuriam esse, nisi malis *direpta* pro *diripere.*

Italia et in ipso Latio Politorium, et, quod vel cogitasse infandum sit, Albam Longam, matrem suam, e cuius gremio in coloniam deducti fuerunt, solo aequatam penitus exciderunt, non aliam ob causam, quam quod libertatem suam paulo, quam ipsi voluissent, fortius defenderent, Capuam vero, Troianorum suorum coloniam et sibi cognatam civitatem, mirum est, quot quantisque calamitatibus affecerint, nulla magis re lacessiti, quam quod diutius, quam ipsi putassent, nobilitatis suae memor videbatur: hi, ut alia nunc omittam, eam civitatem, quae septies fidem fefellerat, septies infesta arma contra tulerat, cum vi et armis ad imperata facienda retraxissent, nullo damno affecerunt, nulla ignominia notarunt, sed, ut antea fuerat, gentis suae caput esse voluerunt, et hodie carissimam habent, et malis, quae illis fortuna proxime intulit, quasi suis ingemiscunt.

Illis adeo solemne fuit reges odisse, ut ipsum quoque regium nomen abominarentur, et, ut soli rerum domini essent, quocunque modo possent, reges omnes de medio tollere desiderarent. Itaque, ne vetustiora commemorem, Philippum, Macedonum regem, nulla iniuria lacessiti bello petiere atque ei subvenientem Antiochum, Asia interim concessa, per dolum a societate averterunt, et non ita multo post, Philippo superato, Antiochum decem talentorum millibus mulctatum omni citra montem Taurum agro spoliaverunt; Persen, Philippi filium, post multa ac varia certamina apud samothracas deos in fidem acceptum scelerate ac perfide occiderunt; Aristonicum, quia regnum paternum repetebat, hostium more atque in triumphum ductum necavere; Nicomede mortuo, eius regni filium, iustum patris haeredem, quem quasi tutores pupillum tueri debuerant, avare simul ac perfide domo eiecerunt regnumque ipsi occupaverunt; Mithridatem, regem Ponti, virum multis magnisque virtutibus insignem, a limitibus sui imperii magnis undique intervallis disiunctum, quia fama erat divitem nec cuiquam esse serviturum, primo per Nicomedem lacesserunt, mox missis terra marique classibus, exercitibus atque imperatoribus suis fortissime totis quadraginta annis repugnantem ac cippo tandem victum [3]) ad mortem impulerunt. Non

---

4) *ac cippo tandem victum.* Haec verba quid sibi velint, non satis intelligo. Certe ea, quae de victo Mithridate deque morte eius varii scriptores tradiderunt, non possunt ullam *cippi* cogitationem iniicere.

libet recensere, quibus quantisque iniuriis reges alios minus nobiles affecerint, ne videar nimis curiose omnia exquirere et eos insectari, qui, si ab inferenda iniuria abstinere voluissent, multis alioquin magnisque laudibus ornari mererentur. Sed dum imperatoriam illam industriam et militare robur ad optimi cuiusque perniciem converterunt, militaribus atque imperatoriis honoribus indignos ipsi se probavere. His vero multo probabilius, et illud quidem longe utilissimum, institutum semper fuit, ut regum amicitias expeterent, regesque omnes ac legitimos principes ultro ament et quasi quosdam supremi illius atque aeterni regis in terris legatos venerentur, colent et observent [4]). Itaque totis mille et ducentis prope annis nullus ab iis bello lacessitus, nullus iniuria provocatus, nulli quicquam iniuste ademptum, contra vero multi consilio, multi studio, multi opibus adiuti, quidam etiam in regno restituti, denique ut alieno semper abstinuerunt et hodie abstinent, ita de suo aliis atque aliis principibus impartiri nunquam destiterunt; memoria certe nostra, ut cetera omittamus, tantum operae, tantum auri, tantum sanguinis, quantum vix credi queat, in commune contulerunt, dum summa ope contendunt, ne cuiquam omnino regum aut principum fiat iniuria, sed omnes intra suos se limites contineant, ac ne nunc quidem ullis aut impendiis aut laboribus parcunt, ut christiana respublica, constanti aliquando ac perpetua pace constituta, externum hostem nostris iampridem focis atque aris imminentem vel fortiter propellant vel certe minus reformident.

Verum quoniam satis, ut opinor, ostendimus, quales et hi et illi foris extiterint: superest, ut iam etiam ostendamus, quales domi se praestiterint; quod quidem facere non auderem, veritus, nequis me his blandiri, illos insectari ac vituperare arbitraretur, nisi historia tam clara, tantis autoribus nixa atque ita omnibus nota esset, ut nulla omnino sit mentiendi relicta occasio. Verum sic quoque id adeo breviter faciam, ut locum indicasse potius videri possim quam explicasse. Primum omnium Romulus ac Remus, deducendae ex agro Albano coloniae autores ac duces, vixdum bene condita urbe adeo capitali odio dissidere coeperunt, ut ea contentio non prius sedari potuerit, quam e geminis

---

4) Ut iusta sit temporum consequutio, lege *amarent, venerarentur, colerent, observarent.*

illis ac collactaneis fratribus atque adeo etiam in eodem gurgustio educatis alter alterum ferro impio sustulisset; et ne putes non publicum sed privatum hoc malum, centum illi a Romulo in senatum lecti patres odiis adeo infestis conditorem urbis et regem suum sunt prosecuti, ut eum ad paludem Caprae in ipso senatu nihil tale metuentem adeo minutim discerpserint, ut nullae unquam regii cadaveris reliquiae potuerint inveniri; et qui in occidendo rege tam concordes fuerant, in successore deligendo in partes divisi non prius convenire atque in unum consentire curarunt, quam indignatae plebis motu coacti externum adsciverunt. Omitto iniquas et seditiosas in regno successiones, ac ne illud quidem nunc commemoro, ut gener impius per supremum scelus interempto [5]) regnum occuparit, ut scelerata filia gratulatum tyranno properans super eximii parentis ora carpentum impulerit.

Venio ad libertatis et consulum tempora, in quibus plebs a patribus tantis oneribus pressa est, ut pro uno tyranno multos sortita, cum eam indignitatem ferre diutius non posset, nunc in Sacrum montem, nunc in Janiculum, nunc in Aventinum secesserit, et falsis promissis aegre tandem reconciliata iusto tam odio semper laborarit, quippe cum oppressae et ad summam inopiam redactae nulla tribunorum diligentia, nullae leges ferre opem possent, et ille tot gentium victor populus, unde liberos aleret, non haberet, et tamen, cum alia ex aliis bella quaererentur, militare invitus cogeretur. Quid, cum non ita multo post non modo seditiones sed bella plusquam civilia coorta sunt? Hinc Cornelio Sylla, illinc Caio Mario ducibus annon multo plura civium millia quam ad Trasymenum aut ad Cannas caesa sunt? Quid, cum Cn. Pompejo et J. Caesare imperatoribus in campis Philippicis pugnatum est? et post occisum Pompejum quantum tandem romani sanguinis toto passim interno mari, quantum in Africa, quantum ad Mundam in Hispania fusum est? Omitto post Caesaris interitum lugubre illud duorum caede consulum ad Mutinam proelium et miserabilem illam in Philippicis rursus campis adversus Brutum et Cassium pugnam,

---

5) Vel post vel ante *interempto* fortasse excidit nomen *socero.* Interpres Italus sic vertit: *nè l'orrenda scelleranza rimembro di un empio genero che il socero uccise per insignorirsi del regno.*

et quae postea sanguinolenti illi, non constituendae, ut aiebant, sed, ut exitus docuit, destruendae reipublicae, Triumviri vel adversus alios vel inter se bella gessere. Quae si quis animo concipiat atque universa consideret, facile intelliget, quod eximius quidam vates carmine notissimo conqueritur, nullum iam campum esse, qui impia Romanorum proelia sepulcris non testetur, nullum flumen, nullum lacum, nullum litus, nullum mare esse latini cruoris expers et ruentis imperii strepitum Persis etiam ac Medis auditum. At vero his tantum civilis societatis desiderium, tam multa caritas, ut, cum initio angustis rivis dissociarentur, ferre id diu non potuerint, sed, quam celerrime licuit, loci naturam arte vincentes in unum corpus coierint. Tanta vero pacis, tanta concordiae cura, ut tot saeculis neque ipsa inter se nobilitas neque cum plebe de iure publico armis unquam contenderit, sed domni, quibus solis rerum administratio commissa est, ita de republica interdum dissentiunt, ut nihil acerbe, nihil contumeliose, nihil iniuriose aut dicant aut saltem cogitent. Prudenter enim eos aut adversarios aut hostes existimant, qui arma contra ferant, non eos, qui suo iudicio rempublicam tueri velint, adeoque ex illa diversitate sententiarum neque odia neque inimicitiae neque simultates oriuntur, ut multi et iis, a quibus dissentiunt, et ultro gratias agant, quod diversa sentiendo aut certe referendo diligentius de tota re disputandi occasionem praebuerint. Neque id sane admirandum, ubi omnes ita reipublicae praesunt, ut obliti commodorum suorum ad illius utilitatem et decus omnia referant, neque aliquam civitatis partem ita tueantur, ut reliquas deserant, sed totum plane corpus suae fidei commissum meminerint, ac semper in commune consulant, et neminem despiciendum existiment. Iura vero tam aequalia sunt, iudicia tam severa et integra, ut, si quid controversum ad iudicia deferatur, nihil saepius vincat quam aequitas. Itaque ut plebs tantis beneficiis victa nobilitatem et bonos omnes quasi patronos vel potius patres, quibuscunque potest obsequiis, demeretur, et illi [6]) contra plebem ac iuniores cives liberos amplectuntur et fovent, ut iam

6) *et illi.* Hic incipit periodi apodosis. Sed malim *ita illi*, ne absit particula correlativa, quae tamen interdum post *ut, quemadmodum* ab optimis scriptoribus negligitur. Non inepte etiam conieceris Rapicium scripsisse: *Itaque et plebs . . . demeretur, et illi contra.*

haec civitas aliud nihil existimari debeat, quam domus quaedam liberaliter ac plane felix et beata, in qua parentes indulgentia simul et severitate laudabiles, frugi mancipia, tota domus in officio persistens et undique plena pacis, plena tranquillitatis, plena christianae pietatis.

Honorum porro cupido nimia, cui repugnare ne bona quidem ingenia nisi aegre unquam potuerunt, ut in illa olim republica fuit, ita in hac esse negare non ausim. Verum res ipsa, quantum inter hos atque illos intersit, facile demonstrat. Ibi enim competitores tam immani cupiditate in campum descendebant, ut adhibito nomenclatore, quos non norant, suo nomine salutarent, et omnium manus subinde prensantes obsecrarent, et conductis laudatoribus ea, quae nunquam fecerant, de se apud plebem iactanda curarent, ac non solum nummorum saccos apud magistros curiarum, divisores ac sequestres ad corrumpendas tribus ac curias deponerent, sed immissa armatorum manu competitores deterrerent atque interdum etiam trucidarent; neque tantum in eas conciones, quae in foro habebantur, sed in ipsa Martii campi septa irruerent, in confertos Quiritum coetus gladios distringerent, lapides iacerent ac tam calidam impressionem facerent, ut non plebem modo conculcatam atque obtritam sed sacrosanctos illos tribunos et principes civitatis ac senatus vel vulneratos vel caesos aliquando legamus, et praeclara illa vel praetoria vel consularia comitia multo saepius competitorum armis quam Iove tonante aut fulgurante dilata aut disiecta. Inde ortae illae minaces de ambitu leges, toties latae, toties adhibitis novis cautionibus iteratae et auctis semper poenis tristiores neque non tamen subinde neglectae, et ex illis accusationes ut frequentes, ita fere omnes irritae, illa ambitio quasi concitatus aliquis torrens semel effusa et pudoris ac verecundiae finibus egressa cohiberi nunquam potuit[7]. Hic vero tam modesta, tam verecunda ambitio, ut non modo ab armis et lapidibus, de quibus nemo unquam

---

7) Postulat obvia structurae ratio, ut ad voces *illa ambitio* ex antecedentibus huc trahas *inde orta*. Verum hoc posito non iam bene procedunt proxime subsequentia. Suspicor sic legendum: *illa ambitio* (id est *inde denique illa ambitio orta est*), *quae quasi concitatus aliquis torrens semel effusa . . . cohiberi nunquam potuit*. Interpres Italus hoc modo locum reddidit: *Quel broglio a impetuoso torrente somiglia, che sgorgato una volta . . più non si può contenere.*

cogitavit, semper sit temperatum, et ab usu[8]) nomenclatorum laudatorumque, sequestrium ac divisorum tam longe semper abfuerint, ut vix pauci nomina ipsa noverint, adeoque, si qua unquam fuit, sordium atque avaritiae labes sublata est, ut orare et precari quemquam, ut in petitionem honorum faveat, crimen sit. Sola salutatio superest, quae, nisi velis humanitatem ex hominibus tollere, tolli nec potuit nec debuit. Ambiunt ergo, quod pulcherrimum est, omnes virtute, non fautoribus, nec cuiquam satis est ad tempus aliquod simulatione virtutum famam aucupari: vera sit oportet ac solida, et quae continuato per totam vitam tenore ducatur; nemo hic potuit nisi paucis diebus fictam ferre personam. Neque enim tanta est nobilitatis, quae sola ad honores admittitur, multitudo, ut iis, qui suffragium ferunt, quisque diu possit esse ignotus; norunt se omnes mutuo ac diligunt, et quoniam honesta aemulandi cupido cessat, etiam observant[9]). Sola vitae ratio vel dat honores vel adimit, nec temere quemquam nec confidere nec desperare oportet; nam et qui honores gessit atque inter principes numeratur, si delinquat, statim destituitur, et vitae labes statim repulsae ignominia plectitur, et qui repulsus quandoque fuerat, si melioris vitae potuit documenta proferre, eo rursus, unde lapsus fuerat, revocatur, nec ulla ad extremam usque senectutem vitae pars elabitur, quae non et a peccatis repulsae metu arceatur, et ad virtutes honorum promissione certissima provocetur. Denique, ut aliquando finiam, quemadmodum martia illa respublica nihil aliud quam ambitus, seditionis atque armorum officina, ita haec nihil aliud quam bonae pacis, mentis ac tranquillitatis domicilium existimari merito potest. Atque haec quidem totius civitatis laus est.

Privatim vero nec minora nec pauciora virtutum exempla facile fuerit invenire. Sed ea tot sunt ac tam illustria, ut ullum seorsum referre vel otiosi hominis vel parum prudentis putari vere possit, cum nulla domus tam exigua sit, cuius gente rarum ac memorabile aliquod praeclarae virtutis exemplum non

---

8) Fortasse scripsit Rapicius: *sed et* (pro *sed etiam*) *ab usu*.

9) Offendit locus: *et quoniam . . . cessat, etiam observant,* (id est *colunt, honorifice tractant*). Vitium latere videtur in voce *cessat,* pro qua, ni fallit coniectura, restituendum est *exstat*.

appareat. Neque haec eo pertinent, ut tam claram civitatem tam ieiune atque aride laudare nunc tentem, neque sum adeo rerum imperitus, ut nesciam nullam eloquentiam nec optari posse nec concipi, quae dignam afferre possit aut materiae copiam aut hominum desiderio facultatem.

Sed ex multis pauca haec cursu attigimus, ut vos optimi adolescentes positis aliqua ex parte ante oculos maiorum vestrorum virtutibus atque institutis subinde vobiscum cogitetis, quam gravi expectatione urgeamini, quanto vobis dedecori sit futurum talibus ortos maioribus illorum non respondere virtuti, vel potius sit pars[10]) felicitatis praeclari generis splendor, quam porro utile sit domestica habere exempla virtutum, quam denique pulcrum cum talibus ac tantis viris labore, industria et virtute ita contendere, ut eorum gloriam possitis vel vincere vel aequare. Nam si Theseum Herculis gloria ad praeclara facinora excitavit, si Themistoclem Miltiadis tropaea quietem capere non sinebant, si Quintus Fabius Maximus, si Publius Scipio dicere solebant, cum maiorum imagines intuerentur, vehementer sibi animum ad virtutem accendi et memoria rerum ab illis gestarum flammam quamdam in pectore crescere, quae non prius sedari posset, quam virtus eorum famam et gloriam adaequasset: quid facere vos decet, qui in ea republica nati atque educati estis, in qua nec divitiae ullae neque opes neque potentia tanti sunt, quanti virtus? Nam nobilitas quoque ipsa, quae in pretio atque honore est, nihil aliud censeri debet quam antiqua et per multos annos cum divitiis in una domo continuata virtus. Annon heroum illorum, quos modo nominavimus, exemplo maiores vestros imitabimini? et Julii Caesaris generositatem animo concipietis, qui quaestor cum Gades venisset et Alexandri Macedonis apud Herculis templum imaginem vidisset, ingemuit atque ignaviam suam culpavit, quod, cum eius esset aetatis, qua Alexander magnam orbis terrarum partem subegisset, nihil aliud memorabile fecisset, statimque deposita quaestura, quam gerebat, maiorum rerum occasionem captare coepit?

---

10) Legendum puto: *vel potius quanta sit pars.* Interpres Italus sic: *e qual parte di felicità sia.*

Denique si viri sapientissimi eum summa laude dignum duxerunt, qui ipse per se nosset atque ultro faceret, quod honestum ac bonum esset, proximas vero partes ei tribuere, qui bene monentibus pareret: quid dubitetis hanc vobis posteriorem laudem parari, si cui priorem illam vel natura parum indulsit, vel, quod crebrum est, casus aliquis aut voluntas ademit, eam autem vobis maiorum imitatio sola praestabit[11]). Nam qui, quos nocuit[12]) in laude vixisse, maiores imitatur, is nimirum recte monentibus paret. Illi enim cum recta facerent, non voce quidem sed rebus ipsis, quod efficacius esse debet, posteris imperabant, ut eam viam inirent, quam ipsi quoque ingressi et rem et gloriam sibi peperissent; quod vos, si, quemadmodum esse faciendum ultro intelligitis, ita libenter facietis, iam non secunda modo laude sed prima digni eritis atque inter optimos computandi. Quare cum sola imitandi sedulitate tantum laudis ac verae gloriae assequi valeatis, quantum vix quisquam desiderare audeat: stultum fuerit tam opportunam bene vivendi occasionem ac disciplinam contemsisse; praesertim cum non modo certa sed etiam tuta esse via credatur, quae frequentibus praecedentium vestigiis impressa ac trita cernitur. Et hoc ipsum, ad quod vos hortandos putavimus, facile fieri posse nemo sanae mentis iure dubitaverit. Si enim usus et ipsa rerum omnium magistra experientia palam ostendit omnes facultates artesque condisci: nimirum etiam ratio ipsa vicerit nullam esse morum virtutem, quae non hominum studio ac labore queat comparari. Nam si passim canere, saltare, iaculari, equitare, pila et latrunculis ludere discimus, atque horum omnium magisterium quoddam et disciplinam intelligimus, et esse in parvis etiam rebus ac levibus artem confitemur: stultum ac ridiculum plane fuerit maximarum rerum, hoc est virtutis ac probitatis disciplinam negare; cum praesertim, qui virtutis disciplinam negat, virtutem procul dubio negare intelligatur. Quid enim, quaeso, est aliud disciplina quam generatio quaedam? qua sublata id quoque, quod per eam generandum erat, tolli

---

11) Rectius, opinor, hunc locum ita scripseris: *quid dubitetis hanc vobis posteriorem laudem parare, si cui priorem illam vel natura parum indulsit vel . . . ademit? eam autem . . .*

12) Pro *nocuit* corrige *novit,* non *noscit,* ut Italus editor suspicatur.

necesse est. Quid dicam, quod continentiam, modestiam, iustitiam, aequitatem, fortitudinem atque alias virtutis partes paulatim et quasi per gradus quosdam prudentia duce augeri videmus, quod ipsum, quid aliud est? quae temporis mora disci?[13]) Atqui si partes plane omnes discuntur, totam quoque disci nemo negaverit.

Sed cum tres potissimum modi sese offerant, quorum aliquo discere homines soleant, quanam tandem ratione vivendum sit: is nimirum deligendus est, qui sit omnium tum facillimus tum maxime tutus. Alios enim videmus praeceptis ac libris sapientium institui; alios saepius errando in melius tandem tum damno monitos tum pudore formari; alios denique alienae vitae exemplo fieri cautiores et, quid fugere, quid sequi oporteat, discere. Sed praeceptorum ratio longa et impedita ac saepe etiam fallax deprehenditur, sive temporum conditio mutata est, sive etiam scriptores minus viderunt quam oportuit; saepius autem errare et frequentibus damnis et dedecore et malo suo admoneri et tam dura mercede discere nemo compos mentis eligat: at vero, quod tertium fuit, alieno periculo atque exemplo discere omnibus semper tutissimum et utilissimum fuit, vobis vero etiam facillimum. Quippe alii cum non Latinas modo sed Graecorum etiam ac barbarorum historias evolverint, vix tandem exempla, quibus instituantur, possunt invenire: vobis autem, qui in hac vetustissima sede nati estis atque educati, non longe exempla sunt petenda, cum non modo civitas universa sed domus singulae omnium virtutum exemplis sint refertae, ac turpissimum sit ibi dubitare, quid agendum sit, ubi omnes uno fere consensu ad augendam tum publicam tum privatam dignitatem pro sua quisque virtute contendunt, ubi nihil magis expetitur, quam laus, quam gloria, quam amplitudo. Haec autem quibus artibus atque institutis a maioribus vestris parta sunt, eisdem a vobis et servari et augeri facile possunt.

Illi enim, ut cives atque inprimis ii, qui ad reipublicae administrationem

---

13) Locus haud dubie corruptus, nec satis intellectus ab Italo interprete, videtur hoc modo sanari posse: *Quid dicam, quod continentiam .... prudentia duce augeri videmus? quod ipsum quid aliud est, quum temporis mora disci?*

accederent, ne[14]) a liberalibus studiis alieni et usu rerum periti essent, primam quamque aetatis partem in literis exigi voluerunt, et tantum eius rei rationem esse ducendam semper censuerunt, ut literati homines nusquam maiori in pretio aut sint aut usque fuerint. Nam et privatim plurimi domesticos liberis magistros honesta mercede conducunt, et civitas ipsa e literatis optimum quemque liberali stipendio ad docendum provocare consuevit. Quod ideo institutum est, ut tenera aetas et maioribus nondum apta rebus facilius ac celerius iis studiis prodiret exculta, quae et secundas res ornant, et illud praestant, ut adversas, si forte inciderint, aequiore animo toleremus. Mox vero eos, qui puerili illa institutione satis profecissent, miris modis ad rerum usum ac prudentiam provehere tentarunt; neque enim in abdito delitescere aut otio torpere passi sunt, sed induta virili toga in luce honorum[15]), hoc est in fora ac comitia prodire iusserunt, ut ab ipsa adolescentia et aliquam administrandae reipublicae rationem animo infigerent, et iudiciorum ac commerciorum quandam nacti consuetudinem cautius postea et publica et privata negotia explicarent. Et quoniam eos ferme omnes prudentissimos existimabant, quibus non modo patriae sed variarum etiam gentium mores atque urbes noscere contigisset: onerarias aliquot triremes publice instruxerunt, quae mercaturae gratia omnes interni maris oras quotannis inviserent, atque in iis nobilissimos adolescentes esse voluerunt, quos spe maiorum quaestuum et celeriter augendae rei familiaris occasione ad navigandum provocarunt, ut paucorum annorum numero Europa, Asia et Africa lustrata et iis insulis, quae in mari nostro sunt, inspectis tot gentium atque urbium moribus instituti ac multo iam prudentiores ac locupletiores domum reversi et reipublicae adhibiti non minus prudenter domi publica administrarent, quam antea foris privata tractassent.

Prolixior, quam par sit, ac fortasse etiam ambitiosior existimer, si numerare tentavero, quam multi ad summas opes atque honores hac via pervenerint, quam multi ab hoc principio ad rempublicam gubernandam accesserint ac

---

14) Corrige *nec,* cui respondet subsequens particula *et* post *alieni.*

15) Scribe *in lucem honorum.*

diu postea quasi in puppi sedentes et clavum tenentes et in rebus adversis animi magnitudinem et in prosperis modestiam et in utrisque singularem prudentiam patriae exhibuerint ac probarint. Verum ut hoc praestare non possum, nec, si possim, summopere velim, ita illud affirmare non dubitarim hanc civitatem nulla magis ratione ex modica magnam, ex divite ditiorem, ex illustri illustriorem subinde factam. Quamobrem nihil vobis aut honestius aut utilius debetis iudicare quam traditum a maioribus vestris morem tueri et illorum diligentiam ac virtutem imitari, qui vobis egregia ista nomina et generis claritatem suis virtutibus partam reliquerunt; praesertim cum videatis id ipsum a condita urbe per multas successiones ab optimo quoque factitatum, et, quae vestra est eruditio, ignorare non possitis imitandi studium adeo facile esse, ut in eo etiam bruta quaedam animantia excellere videamus.

Nam ut simias interim omittamus, quae omnia imitari facile solent, in Arelatensi agro avis exigua taurorum mugitus imitatur et tam perfecte et absolute exprimit, ut, qui vocem audiat, avem non videat, taurum putet, atque inde ipsa quoque taurus nominetur. Anthus quoque, non ita multo maior avicula, ubi equorum adventu a pabulo pellitur, illorum hinnitus imitatur invita discedens, atque hoc quasi quodam genere convicii iacto se ulciscitur. Amant aliae voces humanas, ut corvi et psittaci, quas insigni cura et intentione auditas imitantur atque identidem reddunt, et cum optime expresserunt, sibi ipsis, nescio quomodo, placere et gratulari videntur. Elephas, bellua immanis, hominem ita imitatur, ut et puerperarum gemitus exprimat, et eorum quidam spectati aliquando sint, cum per extentos funes hominum more ambularent, quidam lecticas quaterni singulas tulerunt, alii plenis omnium accubitu tricliniis ita libratis vestigiis cucurrere per lectos, ut neminem discumbentium attingerent, et, quod omnem prope fidem excedit, ex iis quidam litterarum graecarum ductus ac figuras homines imitatus ita pingere didicit, ut linguae illius verbis scribere consueverit: *ipse ego hoc scripsi, et spolia celtica dedicavi.*

Proinde si hoc faciunt ea animalia, quae nec ordinem neque pulcritudinem rerum intelligunt: quid facere vos oportet, quibus et natura rationem ingenuit, et nobilitatem fortuna indulsit, ut illa duce, quid utile esset, agnosceretis, hac

vero hortante expeteretis, et sola maiorum vestrorum imitatione consequi facile possitis? Quare agite dum, vera illustrium virorum soboles et magnum patriae vestrae incrementum, agite, inquam, illustribus nati illustrium animos induite, et quemadmodum Pythagoras ille Samius magnum ad dirigendam in melius vitam adiumentum putavit, ut homines non prius cubitum concederent aut omnino dormire inciperent, quam secum totius diei acta reputassent, ut nequiter factis offensi, honestis laeti, illa fugere, haec sequi consuescerent: ita vos, quod non minus utile fuerit, maiorum vestrorum res tum feliciter gestas tum prudenter excogitatas non unius aut alterius anni sed aliquot saeculorum animo repetite, ac subinde vobiscum cogitate, quam inviolatam in unum verum Deum religionem, quam constantem puramque eiusdem venerationem ab urbe condita in haec usque tempora servarint; quanta in patriam, quanta in parentes pietate, quanta in propinquos caritate, quanta in omnes homines humanitate excelluerint; quibus adolescentiam, quibus mediam aetatem, quibus senectutem studiis transegerint; ut corpora honestis laboribus roborarint; ut omnes animi partes ac potestates rectis studiis ac meditationibus aut excoluerint aut temperarint; ut denique ex cogitatis ac latis pro temporum varietate legibus et se ipsos privatim et universos publice meliores reddere subinde tentarint; ut hodie quoque seniores ac principes civitatis in eo maxime sint occupati, ut non solum res tum privata tum publica augeatur et imperium longius latiusque proferatur, verum etiam multo magis, ut omnes omnium aetatum ordines in officio sint, atque haec civilis vitae communio ac societas in dies honestior fiat ac firmior. Quae vos omnia si diligenter intueri, et quae facillime potestis, imitari volueritis, eo vos brevi pervenisse *) non sine honestissima voluptate, ut illorum inventis atque institutis propria etiam prudentiae vestrae adiicere, ac si qua sunt supplere, si qua redundant amputare ac recidere summa cum laude possitis, et quantum adiumenti ad honestos progressus a patria ac parentibus accepistis, tantum vos illis ornamenti ac splendoris reddidisse gaudeatis.

---

*) Excidisse suspicor verbum *videbitis* aut simile.

Superest, ut veniamus ad id, quod illam Rapicii orationem edendi opportunitatem nobis attulit. Nam instant solennia ad hoc instituta, ut, qui annuum in Academia rectoratum gessit, successorem sibi in eodem magistratu futurum palam renuntiet. Et nos quidem, dum indicimus haec solennia

D. XXIV. M. Octobr. H. XI.

in aula Leopoldina celebranda, magnopere laetamur, quod successorem habebimus virum quum ingenio, doctrina ac litteris praestantem tum summa religione morumque probitate insignem. Est enim legitime electus approbatusque ad gubernacula huius civitatis academicae per novum annum regenda

TRAUG. GUILELM. GUST. BENEDICT

MED. ET CHIR. DOCT. ET PROF. P. ORD. AUGUSTISSIMO BORUSSORUM REGI IN RE MEDICA A CONSILIIS INTIMIS SCHOLAE CHIRURGICO-CLINICAE MODERATOR.

Hunc igitur virum clarissimum atque experientissimum, de Academia nostra iam multis annis optime meritum, postquam ex lege iusiurandum praestiterit, novum Rectorem magnificum illo die proclamabimus eidemque, nominibus etiam Decanorum maxime spectabilium et Senatorum gravissimorum in annum sequentem electorum recitatis, fasces academicos et reliqua honoris insignia trademus; quo peracto ipse munus suum oratione habenda auspicabitur.

Indictis solennibus ut faventes interesse et inaugurationem novi Rectoris, quam Deus ter O. M. faustissimam esse iubeat, praesentia sua cohonestare velint, praeter Collegas doctissimos et Commilitones humanissimos extraordinarium Regis Commissarium eundemque Curatorem Academiae perillustrem, Proceres civitatis, qui in hac urbe degunt, excellentissimos atque gravissimos, omnes denique litterarum cultores ac fautores suo quemque loco spectatissimos ea, qua par est, observantia rogamus, invitamus.

Vratislaviae d. X. Oct. a. MDCCCXLII.

